Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

servis suis. Ecce filius meus
qui egressus est de utero
meo, querit animam meam. quan-
to magis nunc filius gemini
maledicat michi. Dimitte
eum, ut maledicat iuxta preceptum
domini, si forte respiciat dominus
afflictionem meam, et reddat
michi bonum pro maledictione
hac hodierna. Ambulabat
itaque david et socii eius per
viam cum eo. Semei autem per iugum
montis ex latere contra illum
gradiebatur maledicens, et mit-
tens adversum eum lapides,
terramque spargens. Venit er-
go rex et universus populus
cum eo lassus, et refocillati
sunt ibi. Absolon autem, et
omnis populus israel, ingressi
sunt ierusalem, sed et achitofel cum
eo. Cum autem venisset chusai,
arachites amicus david,
locutus est ad eum. Salve rex
salve rex. Ad quem absolon.
Hec est inquid gratia tua
ad amicum tuum. Quare non
isti cum amico tuo. Responditque
chusai ad absolon. Nequaquam
quia illius ero, quem elegit do-
minus, et omnis hic populus, et
universus israel, et cum eo ma-
nebo. Sed ut et hoc infe-
ram, cui ego serviturus sum.
Nonne filio regis. Sicut pa-
rui patri tuo, sic parebo
et tibi.

Dixit autem absolon
ad achitofel. Inite
consilium, quid agere
debeamus. Et ait achitofel
ad absolon. Ingredere ad
concubinas patris tui quas
dimisit ad custodiendam

domum, et cum audierit omnis is-
rael quod fedaveris patrem
tuum roborentur manus eorum
tecum. Tetenderunt ergo ab-
solon tabernaculum in solario.
Ingressusque est ad concubi-
nas patris sui, coram universo
israel. Consilium autem achitofel,
quod dabat in diebus illis,
quasi si quis consuleret deum, sic
erat omne consilium achitofel,
et cum esset cum david, et cum
esset cum absolon. Dixit
igitur achitofel ad absolon.
Eligam michi xii milia vi-
rorum et consurgens persequar
david hac nocte, et irruens
super eum quippe, qui lassus
est, et solutis manibus percuciam
eum. Cumque fugerit omnis
populus, qui cum eo est, percuciam
regem desolatum, et reducam
universum populum, quomodo unus
homo reverti solet. Unum
enim virum tu queris, et omnis
populus erit in pace. Placuitque
sermo eius absolon, et cunc-
tis maioribus natu israel. Ait
autem absolon. Vocate et chu-
sai arachiten, et audiamus
quid et ipse dicat. Cumque ve-
nisset chusai ad absolon, ait
absolon ad eum. Huiuscemodi
sermonem locutus est achito-
fel, facere debeamus an non.
Tu quod dicis. Quod das
consilium. Et dixit chusai ad
absolon. Non bonum consilium
quod dedit achitofel hac
vice. Et rursum intulit chu-
sai. Tu nosti patrem tuum, et
viros, qui cum eo sunt, esse
robustissimos, et amaro
animo. Veluti si ursa raptis